



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Vera Concilii Tridentini Historia**

Contra falsam Petri Suauis Polani narrationem

**Pallavicino, Sforza**

**Antverpiae, 1670**

Capvt X. Obiecta à Ferrerio duarum Seßionum postremarum Decretis, ne acciperentur in Gallia. Alia Suauiana commenta ab Auctore confutata de iurisdictione Ecclesiastica, de iure Patronatus, de ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11718**

1564. cum ipſus fide, religione atque integritate plenè concordare, & ut me paterne admoneret quidquid mihi agendum putaret.

Huiusmodi ſenſus in Concilium & in Pontificem pius Luſitaniae Rex Sebastianus præ ſe tulit:

Humana nequitia dum ſemper de Principibus ac Præſulibus opera mala prænuntiat, hoc boni ſecum fert, quòd poſtea opera prædictioni contraria, tamenſi obligationem haud excedentia, tamquam heròica, cum admiratione ac laudibus excipiantur.

## C A P V T X.

*Obieſta à Ferrerio duarum Seſſionum poſtremarum Decretis, ne acciperentur in Gallia. Alia Suauiana commenta ab Auctore conſutata de iuriſdictione Eccleſiaſtica, de iure Patronatus, de facultate poſſidendi bona ſtabilia mendicantibus conceſſa, & de Commendis.*

**S**ed huiusmodi ſenſus haud præ ſe tulit Ferrerius, qui Venetijs adhuc morabatur. Hinc ubi primùm cognouit, Synodum fuiſſe terminatam, ad Regem ſcripſit<sup>a</sup>, ac (pro eo quod homines conſuerunt, ut è cunctis ſubſecutis euentibus comprobationem ſuorum operum, conſiliorumque præcedentium conquirant) argumentum ſumpſit ad affirmandum, abſentiam ſuam & collegæ à poſtremis duabus Seſſionibus peropportunam fuiſſe, ne ipſorum præſentiã immunitatibus ac prærogatiuis Eccleſiæ Coronæque Gallicanæ detrimentum inferretur. Atque ita differebat: In Seſſione vigefima quarta capite quinto, octauo, ac vigefimo ſancitum fuiſſe, ut Epifcoporum cauſæ cognoscerentur Romæ, aduerſus Gallia priuilegia, per quæ habebatur, ut ipſe dicebat, ne illæ extra Regnum egrederentur. Penſiones comprobari: (perinde quali Rex in Sacerdotijs distribuendis eas non imponat:) & in fine pluribus modis declaratum fuiſſe, Concilium illud vnum continuum, non autem nouum fuiſſe, cui ſemper obſtiterant Regis Oratores, ſecundùm ipſius mandata. Romanum Pontificem nominari *Epifcopum Eccleſiæ Vniuerſalis*, cui titulo ſemper Oratores repugnant: & alia complura eſſe, ex quibus neceſſariò conficiebatur, illum præeſſe Concilio, aduerſus quàm opinabatur Gallia & Sorbona; quæ opinio ſemper illic ab ipſis vnà cum Lotharingo Cardinali, cum Epifcopis ac Theologis Gallis fuerat propugnata. Nullam fuiſſe habitam rationem conteſtationis, ab Henrico Rege pronuntiatæ in  
Iulij

<sup>a</sup> Litteræ Ferrerij ad Regem, Venetijs 6 Decembris 1563.

Iulij conuocatione : illius verò, quæ dicebatur interposita ad conseruanda illa iura Ecclesiæ Gallicanæ, non potuisse exemplum ab Oratoribus obrineri : & vt multa in pauca redigantur, aucta fuisse Romæ commoda, sed à se ne minimam quidem postulatorum partem impetratam fuisse. Tam aliam præ se tulit mentem Ferrerius, cum spem suam apud Pontificem arescentem putauit, ab illa quam ostenderat Gualterio, eâ spe florescente.

1564

2 Porro Deo planè tribuendum est, quòd imprudenter hîc se gesserit Suauis, dum rationes recensuit, ab ipso atque ab alijs per summam efficaciam allatas, vt ostenderet, à Tridentino Concilio prærogatiuam Romanorum Pontificum supra Concilia declaratam fuisse : hoc enim pacto nolens ille, in ea tam sublimi causa, strenuus patronus hostium suorum euasit. Si res ita se habet, vt Synodus Tridentina protulerit ea verba, quibus declarata intelligatur prærogatiua summi Pontificis supra Concilia, igitur sicuti quilibet Catholicus accipit, seque obstrictum fatetur ad accipiendam Tridentinam Synodum in ijs omnibus quæ spectant ad doctrinam, ita pariter quilibet Catholicorum obstringitur ad concedendam hanc prærogatiuam in summo Pontifice: vbi verò Suauis super hoc argumento non alienam agens personam, sed ipse per se decertauit cum alijs, ex ijs quæ postea scripsit in opere quod refello, conuincitur manifestæ rationi aduersari; tunc enim disceptabatur vtrimque à Catholicis, positâ iam tamquam extra dubitationem doctrinâ Conciliorum omnium Oecumenicorum, & quæ à Catholicis accepta fuerant.

3 Pergit comminisci varia obiecta illis Decretis à Parisiensi Senatu, tamquam iniuste sibi occupantibus potestatem laicorum, simulque Regiam violentibus. Ego verò prætermisâ aliâ disputatione, solum illud assumam, quasi auream hastam, contra huiusmodi criminationes : Id si accidit, talpas fuisse oportuit Oratores & Consiliarios tot Principum, qui paratas sanctiones, antequam stabilirentur, expenderunt, curaruntque vt quodcumque verbulum mutaretur, in quo vel tenuis vmbra detrimenti suis ditionibus cerneretur; atque ita præsertim Cæsar egit etiam ipse per se, & per assiduas litteras ad suos Oratores, qui cum eo communicabant è propinquo quidquid parabatur, sicut hoc in Opere animaduersum est : & tamen hi omnes Oratores, Consiliarij ac Principes illis Decretis minime repugnarunt. Oportet similiter talpas fuisse Regia Consilia Hispaniæ ac Lusitaniæ, Senatum Venetum, & tot alios Principes ac Dynastas, à quibus illa postea sunt accepta.

R IIII 2

Sed

1564.

Sed omittis odiosis controuersijs de iurisdictione, videamus quæ 4  
 Suauis differit sub consueta sibi communitatis larua: *In ijs quæ ad  
 ius patronatus spectant, dicebant, periniquè actum fuisse cum laicis, dum  
 ipsis difficiles reddebantur probationes: atque integrum illud caput inniti in  
 quadam assumptione falsa, cuncta nimirum sacerdotia esse libera, nisi  
 ius patronatus probetur: nam è contrario certum est, ab Ecclesijs tempora-  
 ria bona non possideri, nisi tradita à laicis; quos assumendum pro certo  
 non est, voluisse ea ita concedere, vt sacerdotium tractari ac dissipari fas esset  
 pro Ecclesiasticorum arbitrato. Quare ab initio erat donantium dominio  
 subiectum, & eiusmodi credendum esset, nisi ostenderetur absoluta eius do-  
 natio, & integra domini concessio. Et quemadmodum Communitas aut  
 Principes succedunt illi, qui nullum alium habet heredem, ita cuncta sacer-  
 dotia, quæ non subiacent domini peculiaris iuri, sub dominio publico esse de-  
 berent. Eorum etiam complures formam illam loquendi deridebant, quod  
 sacerdotia alicuius iuri subiecta, essent in seruitute, alia verò essent libera,  
 quasi manifesta seruitus non esset, quod illa subiecta sint libera facultati Ro-  
 manæ Aulae, contra quam instituta ac fundata sunt, eadem administran-  
 tis, non autem laicorum dominio ea conseruantis.*

Suauis sensum audiuius; illum trutinâ perpendamus. Ac pri- 5  
 mò quidem verum non est, probationes beneficiorum, iuri donan-  
 tium subiectorum, difficiles hîc vniuersè fuisse redditas; sed solum  
 illas, de quibus præsumitur iniusta occupatio. Iam verò si perle-  
 gantur quæ de hoc scribunt celebriores Canonum periti, compe-  
 rietur, varijs temporibus à compluribus potentioribus fuisse iniuste  
 occupata tam profana suorum oppidorum dominia, quam Ec-  
 clesiastica Sacerdotiorum; quod præcipuè narrant contigisse in Sa-  
 cerdotijs Italiæ, cum summi Pontifices Auenione degebant. Hisce  
 solis potentioribus Synodus probationes coarctauit, contra verò  
 cum de reliquis loqueretur, postquam varia connumeravit legiti-  
 ma genera probationum, vt ostenderet à se nullam excludi, ad-  
 dit; & alias, vt secundum iuris dispositionem patronatus probaretur.

Sed de hoc mirifica sanè. ea doctrina est, quâ Suauis arguit, cun- 6  
 cta Sacerdotia, vbi ex institutione oppositum non liqueat, esse sub  
 laici domini iure. Me non fugit, duas esse opiniones de iure Patro-  
 natus<sup>b</sup>: alteram Pauli de Castro, ius illud non acquiri à laico per  
 solam aut ædificationem aut dotationem Ecclesiæ, vbi diserte illud  
 sibi non reseruet, & secundum hanc opinionem longiori confuta-  
 tione opus non est contra Suauis ratiocinationem: alteram Cæ-  
 saris Lambertini Antistitis Insulensis, à laico ius acquiri per ea  
 opera, vbi non appareat, ab eodem illi renuntiarî. Sed neque hic  
 Doctor,

<sup>b</sup> Vide Cæ-  
 sareum Lam-  
 bertinum de  
 iure Patrona-  
 tus, in prima  
 parte lib. 1.  
 in toto artic.  
 4. secundæ  
 quæstionis  
 præcipuæ.

Doctor, nec eius asseclæ ad eò stultè pronuntiarunt, in donationibus, ac præcipuè ex causa pia habitis, quæ liberalissimæ censendæ sunt, intelligi eas conditiones exceptionesque, de quibus qui donauit non loquitur, multoquè minus illas, quæ non sunt in ipsius potestate, sed pendent à consensu excipientis donum, cuiusmodi est facultas eligendi Ecclesiæ ministri. Fundamentum igitur Lambertini, eorumque qui cum eo secundam sententiam sequuntur, in eo situm est, quòd ipsa Ecclesia, quòd fideles alliciat ad hoc pium opus, hanc facultatem largiatur, cui potest renunciari à donante; sed renunciatio non nisi extante probatione credenda est. Verumtamen in hac ipsa sententia ab eius auctoribus duo affirmantur, per quæ Suauis argumentum labefactatur.

7 Vnum est, non idcirco esse in laici potestate, vt acquirat dominium sine Præsulis voluntate: non enim illi fas est auctoritate propria Ecclesiam ædificare, sacerdotiumve fundare. Quapropter vbi non ostendatur, huiusmodi ædificationem fundationemve ab illo factam, præsumitur id peractum non esse operâ laici, cui per se id fas non erat, sed operâ Præsulis, tametsi fortasse per eleëmofynas laici.

Alterum, de quo conueniunt etiam qui defendunt hanc sententiam, sacerdotiorum dominis fauentem, est, vt beneficium iam memoratum, fundatori concessum ab Ecclesia, deueniat quidem ad heredem quemcumque, siue consanguineum siue extraneum, quoniam id ad alliciendos homines conducit; non tamen postea, si heredes deficient, reuoluatur ad Fiscum: de hoc enim nihil laborat fundator, neque id valeret ad augendam in eo voluntatem huiusmodi eleëmofynæ largiendæ; adeoque imprudenter & sine vllò commodo Ecclesia seipsam auctoritate suâ priuaret, concederetque patronatum fundatori eo genere concessionis, vt cunctis heredibus deficientibus, tum proximis tum remotis, ea potius acquireretur Fisco, quàm extingueretur.

8 Porro mirum est, velle persuadere, sacerdotia dicenda tunc esse in seruitute, cum in arbitrio sunt Præsulis, cui Deus iniunxit res Ecclesiasticas curare, magis quàm si essent in arbitrio laici, ad quem solum pertinet administratio ciuilis. Atque vt vocabula seruitutis aut libertatis omitamus, res quæstioni subiecta non est, an melius sacerdotia committantur distributioni Præsulis, qui à suo munere compellitur, vt ea dignioribus conferat absque personarum exceptione, an domino laico, cui mos est illa tradere homini arctissimâ sibi propinquitate coniuncto, aut seruo optimè merito in sua pri-

1564. uata familia. Quod profectò locum ita non habet in patronatibus supremorum Principum, de quibus Concilium nihil dixit.

Agit postea Suauis de facultate Pontifici reseruata, cognoscendi primas causarum delationes ob earum grauitatem, & iudicandi causas criminofas omnium Episcoporum. Sed hæc de re à nobis abundè dictum est.

Addit: Nullà ratione comprobabant, bonorum stabilium possessionem mendicantibus concessam; & aiebant: Cùm in Gallia per huiusmodi institutionem illa fuissent recepta, æquum esse ut non nisi in eodem statu retinerentur. Perpetuum esse artificium Aulae Romanæ, bona è laicorum manibus excutere, & ad Clerum trahere, ac deinde Romam, cùm prius detur opera, ut per speciem voti paupertatis monachi æstimationem sibi comparant, quasi nihil ab ipsis fluxorum bonorum spectetur, sed cuncta ex charitate ad populi commodum destinant: postea verò, æstimatione sibi comparatâ, voti ligamen Aula relaxat, vnde facile ditescunt; & ita monasteria, iam affatim opulenta, in commendationem traduntur; ac denique vniuersa in Aulam Romanam commigrant. Hæc ratiocinatio, à Suauis Gallis adscripta, inter eas fabellas connumeranda est, quibus ut quispiam oblectetur, opus est ut puer sit, & in illis amet quod admirabile est, & quod confictum non agnoscat.

Ac primò quidem res ex aduerso procedit. Ordines illi, è quorum bonis fundatæ sunt Commendæ, fuerunt Ordines monachorum, qui se numquam obstrixerunt voto non possidendi bona stabilia. Huiusmodi votum, saltem vniuersè ac frequenter, initium habuit in mendicantibus: & quemadmodum accidit in cunctis rebus nouis, tametsi bonis, illi voto ac mendicationi acriter aduersati sunt Guillelmus à sancto Amore, alijque Galli Doctores, aduersus quorum obiecta votum illud propugnarunt S. Bonauentura in Apologia Pauperum, & S. Thomas\* in Summa contra Gentes, & vberius in Opella<sup>d</sup> Contra Religiosorum impugnatores. Præterea Ordines mendicantium, qui hoc laxamentum à Concilio acceperunt, non prænoscebatur fore ut tam largis ac tam frequentibus donationibus abundarent, vnde cuiquam suboriri posset metus illius immensæ opulentæ, aut illius periculi, quæ Suauis depingit.

Sed quò pressius eum facto conuincam, duo obseruo: alterum, Gallos, quamuis leges Concilij non exceperint, non tamen quidquam restitisse facultati mendicantibus concessæ acquirendi bona stabilia; ut re ipsa compertum est. Alterum, non modò hoc Decretum illis non displicuisse, quoniam ea bona in Commendationem

e Lib. 3. cap.  
332.  
\* Cap. 6.

nem postea traduntur; sed præcipuum titulum, cuius gratiâ Regina & ministri obstiterent ne leges Concilij exciperentur, fuisse, præscriptam ab eo ademptionem Commendarum, uti palam fiet: hæc siquidem in Gallia cunctæ Regis distributione concedebantur. Licet etiam nostro lectori in memoriam reuocare, quàm eriter improbauit Cæsar, quòd Synodus vellet prohibere ne prouentus monasteriorum, in quibus disciplina collapsa fuerat, adhiberentur ad fundanda alterius generis sacerdotia.

1564.

13 Hæc satis superque essent contra piam Suauis commentationem: sed fingamus, quod ille vult, post diuturnum sæculorum curriculum hos prouentus in Commendas conuersos, Romanam in Aulam confluisse. Vicio mihi vertendum haud censeam, si adstringentem defensionem repetam, quando aduersarius numquam cessat repetere oppugnationem speciosam, & quæ reuera centrum omnium ipsius linearum est, sed centrum auernale. Cuperem ut mihi Suauis explicuisset, quid tandem hæc Aula sit. Ea profectò ararium est, ac theatrum commune virtuti, doctrinæ, ac promeritis eorum omnium Christianorum, qui se in Ecclesiastica militia mancipant peculiari Dei cultui, & præcipuo quodam fidelium auxilio: neque quisquam est hisce dotibus ornatus, atque huic militiæ adscriptus, qui hoc theatrum ingressus, plus minusve huius ararij non fiat particeps. Iam verò animaduertatur, num quidquam incommodi afferat ciuili felicitati, quòd multa bona, non donum casus in hereditate sanguinis euadant, sed iustitiæ distributio in laborum remuneratione reddantur. Quodnam malorum deterrimum excogitari possit in huiusmodi bonorum collatione? Quòd interdum conferantur sine promerentium delectu? sed ita semper ea confert titulus hereditatis. Quòd malorum deterrimum concipi possit in distribuendis prouentibus, postquam ea tradita fuerint, Quòd interdum impendantur non in virtutis ac pietatis opera, sed ad familiam ditandam, & per licentiam profanam? Atqui hoc pacto vniuersè distribui compertum est prouentus, per sanguinis coniunctionem collatos. Verùm speciosus fucus, in quo moles tantæ inuidentiæ ac rot querelarum innititur, ex eo prouenit, quòd concipiatur Ecclesia & Aula quasi persona vnica, quæ sibi cunctos illos prouentus absorbeat, nullo alijs fructu distributo: at re verà non nisi munus dispensandi illius patrimonij ea exercet, quâ ratione humanæ Reipublicæ magis proficit.

14 Postremò narrat, Episcopos, Theologos, & famulos, vsos Gallicâ libertate, fuisse locutos de Synodi rebus per innumeras vituperatio-

1564.

perationes, atque irrisiones. Liceret mihi affirmare, cuncta hæc falsò dici, quandoquidem nec certæ personæ nominantur, nec dicta ab illis testimonia proferuntur. Sed placet sincerius respondere. Incredibile quidem mihi non est, nonneminem sinistrè oblocutum, cum animaduertam, etiam extante Synodo sic euenisse; nec argumentum deerat ad id agendum, perinde ac nec vquam deierit in quouis opere humano, in quod tot homines tam inter se varij concurrant, & quod tot annos perduret. Apud se quisque rationem subducit: quicumque ingens Senatus, tametsi eiusdem patriæ, & quauis sapientiâ prudentiâque præditus, si consentiret vt publicæ famæ exponeretur, quantum in eo nimix affectus, quantum imbecillitatis interuenit tum in agitandis negotijs, tum in sententijs proferendis. Hoc vitio nec Ecclesia prima, nec veteres Synodi caruere; nec id à me in Tridentino dissimulatum est. Etenim Deus potentiâ suâ non vitur in hac vita ad transformandos diuinitus homines in Angelos, sed ad extrahenda ex operibus ab imperfecta hominum industria confectis, bona præsentissima, quibus Angelorum vires impares essent. Itaque voluit vt in Euangelio narrarentur huiuscemodi vitia vel paucorum Apostolorum quos elegit, suâque quotidiana disciplinâ secum educavit. Præterquam quòd in opificijs arduis ac diuturnis euitari non possunt multa incomposita, si non artificum, saltem materiæ vitio. Atque idcirco iure optimo Michaël Angelus Bonarota, cui tum in pictura, tum in duabus socijs artibus Diuini nomen inditum est, nolebat, vt dum pingeret ab vilo conspiceretur, cum in ipsius etiam manu frequenter penicillus erraret, sibi que necesse foret quod minus concinnè formarat, postea delere. Opus iam perfectum spectetur, & illud auctorem suum vituperet, aut commendet.

Equidem affirmare nesciuerim quidnam dixerit de rebus in 15  
Concilio gestis quispiam parum prudens, & fortasse parum conscius, parumque veridicus. Satis in comperto mihi est, per vniuersam Christianam Rempublicam, per Galliam præsertim, summam de illo existimationem fuisse diffusam: ac primò quidem Decreta doctrinæ adorata illic fuere tamquam sacrosancta ab vniuersis Catholicis: dein quamquam disciplinæ Decreta in difficultatem offenderent, propterea quòd aliqui ex Concilio & ex Senatu ea quasi detrimentosa priuilegijs Regis & Ecclesiæ Gallicanæ depinxerant; tamen Episcopi in Synodis Prouincialibus illa pro virili sunt imitati; & per hanc imitationem Ecclesia in Gallia ultra modum meliorem in



in formam redacta est. Et multis post Conciliū annis elapsis magnus Gallia Rex Henricus IV. iureiurando spondit Clementi VIII. Pont. Max. omnem à se operam nauatum iri, vt Concilium suis in regnis integrè exciperetur: ad quod animum non induisset generosus & tunc victor Princeps, si eas Synodi sanctiones iniustas aut noxias existimasset. Sed lubetne verum cognoscere ab vno ex primarijs prudentioribusque ministris, quos Gallia regnum vnam habuerit? Lustremus litteras per typos vulgatas Cardinalis Ossatensis. Is conatus persuadere Villeroo, qui Regi à secretis erat, oportere ipsi Regi huiusmodi iusurandum custodire, scribit, In Concilio parum aut nihil repertum iri à Senatu, de quo conqueri posset; & modicum illud vbi reperiretur, facili negotio componi posse. Liberius autem Regi significans excusationem, à se redditam Clementi VIII. Regis nomine, exponit in duabus litteris veras causas difficultatis obiectæ: nimirum Tridentinam Synodum in Gallia displicere tum pluribus, tum maioribus; ac primo loco cunctis hæreticis, qui ab omni Concilio abhorrebant: præterea etiam Catholicis potentioribus, videlicet, Senatibus, Collegijs Ecclesiasticorum, ac Proceribus, quibus graue accidebat, interdici sibi sacerdotia naturâ suâ insociabilia, & cum abusibus veritis à Concilio. Id exposuit egregius ille vir Regijs verbis Pontifici: ceterum idem scripsit ad memoratum Villeroom, nihil à se repertum in Synodo, quod auctoritati Regiæ aduersaretur: quin ne ipsi quidem Regi significare veritus est, in ea Synodo plurimum esse quod faueret, nihil quod officeret Ecclesiæ Gallicanæ; nisi quis fortasse crederet, si monias, aliq, vitia & corruptelas, esse Ecclesiæ Gallicanæ priuilegia. Nec eiusmodi sensus in illo singularis extitit. Compertum est, quàm inflammato studio hanc acceptionem promouerit in publicis Gallia conuentibus alter doctissimus ac religiosissimus Regis minister Cardinalis Peronensis, & cum eo Episcopus Lussionensis, qui postea purpurâ decoratus, & Cardinalis Richelius dictus, inter præcelliora nomina Gallicæ nationis superstes erit.

1564

e 15. Februa-  
rij 1597.

f 28. Martij  
1599. & 25.  
April 1600.

g Die vicimo  
Martij 1599

h 16. Martij  
1600.

16 De Hispanis non audet Suauis quidquam loqui, quod spectat ad æstimationem Concilij. Haud tamen hîc omiserim oculatum testem illius nationis Petrum Fontidonium Theologum, de quo sæpius mentionem habui. Hic in responso ad opusculum<sup>1</sup> Ioannis Fabritij Montani, vbi causas ille adducebat, cur hæretici Germaniæ ad Synodum non venissent, ita scribit: *Quod spectat ad accusationem tuam, quod Patres Concilij ad Pontificis nutus se conforment, vellem vt tu præsens adesses; dum enim contempleris huiusce sanctissimi Senatus*

i Impressum  
est cum alijs  
Commentarijs  
ad Concilium  
speciantibus,  
Louanij  
1567.

Pars III.

SSSS

natus

1564. *natus maiestatem; dum obseruares quàm liberè sententias Patres dicant, quàm minimè, quo vulneribus Ecclesia medeantur, ipsius Pontificis auctoritatem extimescant, quam alioquin obseruant ac reuerentur; quàm fortiter, quàm constantè obsistant ubi opus sit, & ubi dignitas ac salus Ecclesie id postulet: non vereor quin hæc tam sancta libertas per vim euelleret sinistram opinionem, quam aduersus illorum constantiam concepisti, quamquam nihil adhuc viderim in ijs, quæ spectant ad religionem reparandam, ubi summus Pontifex Patribus repugnarit. Ita sane testatus est Fontidonius, Lunensi vel maximè intimus, & cuius operam ille selegit ad orationem habendam, cum solemniter fuit exceptus ea: verò testatus est, & etiam vulgavit, dum extabat Concilium; adeoque dum oportuerat, si res aliter processisset, audire Tridenti quot homines aderant in eo conuentu, tot mendacij sui accusatores.*

Hispano Lusitanum associabo, nec minùs doctum, nec minoris auctoritatis. Didacus Payua Regis Sebastiani Theologus, ob suorum Operum præstantiam à nobis varijs in locis commendatus, in libro primo de generali Conciliorum auctoritate hæc habet: *Dom Tridenti commorabar in Concilio, sæpè dicere solitus eram, etiamsi auctoritas Conciliorum nullo Christi promisso confirmata & constituta fuisset, ego tamen, ab ea ratione tam studiosa veritatis acquirende coactus, eorum definitionibus facillè consensissem.* Et vniuersè de pretio, in quo viri cordati Concilium nondum absolutum habuerunt, oppositam denique Suauis testem illi notum, & omni exceptione maiorem. Nonne ille conspexit in narratione, de qua iam diximus, Oratoris Veneri, alioqui satis libera, Synodum ita celebratam, vt Orator ille optauerit illic præsentem omnes hæreticos, propterea quòd hæssissent confusi? Auctores huiusmodi producendi sunt, non priuata, & forsitan imaginaria famulorum garulitas. Sed cum plures sint bonarum legum laudatores quàm seruatorum, à recitatione præconiorum, quæ verbis de Concilio habitæ sunt, progrediamur ad narrationem executionis, quam idem accepit à factis, quæ sunt laudes ac voces numquam fallaces; vnde per illa Veritas suprema loqui consuevit.